

M. TVLLI CICERONIS IN M. ANTONIVM ORATIO PHILIPPICA PRIMA

1 [1] Antequam de republica, patres conscripti, dicam ea, quae dicenda hoc
2 tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis et
3 reversionis meae. Ego cum sperarem aliquando ad vestrum consilium
4 auctoritatemque rem publicam esse revocatam, manendum mihi statuebam,
5 quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. Nec vero usquam discedebam
6 nec a re publica deiciebam oculos ex eo die, quo in aedem Telluris convocati
7 sumus. In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis
8 Atheniensiumque renovavi vetus exemplum; Graecum etiam verbum
9 usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa, atque omnem
10 memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censi.

11 [2] Praeclara tum oratio M. Antoni, egregia etiam voluntas; pax denique per
12 eum et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est. Atque
13 his principiis reliqua consentiebant. Ad deliberationes eas, quas habebat
14 domi de re publica, principes civitatis adhibebat; ad hunc ordinem res
15 optimas deferebat; nihil tum, nisi quod erat notum omnibus, in C. Caesaris
16 commentariis reperiatur; summa constantia ad ea, quae quaesita erant,
17 respondebat.

18 [3] Num qui exsules restituti? Unum aiebat, praeterea neminem. Num
19 immunitates datae? 'Nullae', respondebat. Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio,
20 clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti
21 Caesaris aut beneficii figeretur. Multa praetereo, eaque praeclara; ad
22 singulare enim M. Antoni factum festinat oratio. Dictaturam, quae iam vim
23 regiae potestatis obsederat, funditus ex re publica sustulit; de qua re ne
24 sententias quidem diximus. Scriptum senatus consultum, quod fieri vellet,

25 attulit; quo recitato, auctoritatem eius summo studio secuti sumus eique
26 amplissimis verbis per senatus consultum gratias egimus.

27 [4] Lux quaedam videbatur oblata non modo regno, quod pertuleramus, sed
28 etiam regni timore sublato, magnumque pignus ab eo rei publicae datum, se
29 liberam civitatem esse velle, cum dictatoris nomen, quod saepe iustum
30 fuisset, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam funditus ex re
31 publica sustulisset.

32 [5] Liberatus periculo caedis paucis post diebus senatus; uncus impactus est
33 fugitivo illi, qui in Mari nomen invaserat. Atque haec omnia communiter
34 cum collega; alia porro propria Dolabellae, quae, nisi collega afuisset, credo
35 iis futura fuisse communia. Nam cum serperet in urbe infinitum malum
36 idque manaret in dies latius idemque bustum in foro facerent, qui illam
37 insepultam sepulturam effecerat, et cotidie magis magisque perdit homines
38 cum sui similibus servis tectis ac templis urbis minitarentur, talis
39 animadversio fuit Dolabellae cum in audacis sceleratosque servos, tum in
40 impuros et nefarios liberos, talisque eversio illius exsecratae columnae, ut
41 mihi mirum videatur tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse.

42 [6] Ecce enim Kalendis Iuniis, quibus ut adessemus, edixerat, mutata omnia:
43 nihil per senatum, multa et magna per populum et absente populo et invito.
44 Consules designati negabant se audere in senatum venire; patriae liberatores
45 urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant; quos tamen
46 ipsi consules in contionibus et in omni sermone laudabant. Veterani qui
47 appellabantur, quibus hic ordo diligentissime caverat, non ad
48 conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum
49 praedarum incitabantur. Quae cum audire malletm quam videre haberemque

50 ius legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuariis,
51 quod initium senatus cogendi fore videbatur.

52 [7] Exposui, patres conscripti, profectionis consilium; nunc reversionis, quae
53 plus admirationis habet, breviter exponam. Cum Brundisium iterque illud,
54 quod tritum in Graeciam est, non sine causa vitavissem, Kalendis Sextilibus
55 veni Syracusas, quod ab ea urbe transmissio in Graeciam laudabatur; quae
56 tamen urbs mihi coniunctissima plus una me nocte cupiens retinere non
57 potuit. Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus
58 suspicionis aliquid afferet, si essem commoratus. Cum autem me ex Sicilia
59 ad Leucopetram, quod est promontorium agri Regini, venti detulissent, ab eo
60 loco conscendi, ut transmitterem, nec ita multum provectus, reiectus austro
61 sum in eum ipsum locum unde conscenderam.

62 [8] Cumque intempesta nox esset mansissemque in villa P. Valeri, comitis et
63 familiaris mei, postridieque apud eundem ventum exspectans manerem,
64 municipes Regini complures ad me venerunt, ex iis quidam Roma recentes;
65 a quibus primum accipio M. Antoni contionem, quae mihi ita placuit, ut, ea
66 lecta, de reversione primum coeperim cogitare. Nec ita multo post edictum
67 Bruti affertur et Cassi, quod quidem mihi, fortasse quod eos plus etiam rei
68 publicae quam familiaritatis gratia diligo, plenum aequitatis videbatur.
69 Addebant praeterea (fit enim plerumque ut ii, qui boni quid volunt afferre,
70 affingant aliquid, quo faciant id quod nuntiant laetius) rem conventuram;
71 Kalendis Sextilibus senatum frequentem fore; Antonium, repudiatis malis
72 suasoribus, remissis provinciis Galliis, ad auctoritatem senatus esse
73 rediturum.

74 [9] Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque
75 remi neque venti satis facerent, non quo me ad tempus occurrurum non

76 putarem, sed ne tardius quam cuperem rei publicae gratularer. Atque ego
77 celeriter Veliam devectus Brutum vidi, quanto meo dolore, non dico. Turpe
78 mihi ipsi videbatur in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet,
79 et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Neque vero illum similiter, atque
80 ipse eram, commotum esse vidi. Erectus enim maximi ac pulcherrimi facti
81 sui conscientia, nihil de suo casu, multa de vestro querebatur.

82 [10] Exque eo primum cognovi, quae Kalendis Sextilibus in senatu fuisset L.
83 Pisonis oratio. Qui quamquam parum erat (id enim ipsum a Bruto audieram),
84 a quibus debuerat, adiutus, tamen et Bruti testimonio (quo quid potest esse
85 gravius?) et omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi
86 videbatur gloriam consecutus. Hunc igitur ut sequerer, properavi, quem
87 praesentes non sunt secuti, non ut proficerem aliquid (nec enim sperabam id
88 nec praestare poteram), sed ut, si quid mihi humanitus accidisset (multa
89 autem impendere videntur praeter naturam etiam praeterque fatum), huius
90 tamen diei vocem testem rei publicae relinquerem meae perpetuae erga se
91 voluntatis.

92 [11] Quoniam utriusque consilii causam, patres conscripti, probatam vobis
93 esse confido, priusquam de re publica dicere incipio, pauca querar de
94 hesterna Antoni iniuria; cui sum amicus, idque me non nullo eius officio
95 debere esse prae me semper tuli. Quid tandem erat causae, cur in senatum
96 hesterno die tam acerbe cogerer? Solusne aberam, an non saepe minus
97 frequentes fuistis, an ea res agebatur, ut etiam aegrotos deferri oporteret?
98 Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur, ad quam
99 causam etiam Appium illum et caecum et senem delatum esse memoriae
100 proditum est.

101 [12] De supplicationibus referebatur, quo in genere senatores deesse non
102 solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, de quorum honore agitur,
103 gratia, quod idem fit, cum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt,
104 ut paene liberum sit senatori non adesse. Qui cum mihi mos notus esset,
105 cumque e via languerem et mihimet displicerem, misi pro amicitia, qui hoc
106 ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum
107 esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem et valde intemperanter. Cuius enim
108 maleficii tanta ista poena est, ut dicere in hoc ordine auderet se publicis
109 operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum? Quis
110 autem tanto damno senatorem coegit, aut quid est ultra pignus aut multam?
111 Quod si scisset, quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto
112 de severitate cogendi.

113 [13] Anme censetis, patres conscripti, quod vos inviti secuti estis,
114 decretum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur, ut
115 inexpressibiles religiones in rem publicam inducerentur, ut decernerentur
116 supplicationes mortuo? Nihil dico, cui. Fuerit ille Brutus, qui et ipse
117 dominatu regio rem publicam liberavit et ad similem virtutem et simile
118 factum stirpem iam prope in quingentesimum annum propagavit; adduci
119 tamen non possem, ut quemquam mortuum coniungerem cum deorum
120 immortalium religione, ut, cuius sepulcrum usquam extet, ubi parentetur, ei
121 publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem, ut me adversus
122 populum Romanum, si qui accidisset gravior rei publicae casus, si bellum, si
123 morbus, si fames, facile possem defendere, quae partim iam sunt, partim
124 timeo ne impendant. Sed hoc ignoscant di immortales velim et populo
125 Romano, qui id non probat, et huic ordini, qui decrevit invitus.

126 [14] Quid? de reliquis rei publicae malis licetne dicere? Mihi vero licet et
127 semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. Potestas modo veniendi
128 in hunc locum sit, dicendi periculum non recuso. Atque utinam, patres
129 conscripti, Kalendis Sextilibus adesse potuissem! non quo profici potuerit
130 aliquid, sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore,
131 dignus republica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem,
132 homines amplissimis populi Romani beneficiis usos L. Pisonem ducem
133 optimae sententiae non secutos. Idcircone nos populus Romanus consules
134 fecit, ut in altissimo gradu dignitatis locati rem publicam pro nihilo
135 haberemus? Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem
136 assensus est. Quae, malum!, est ista voluntaria servitus?

137 [15] Fuerit quaedam necessaria; neque ego hoc ab omnibus iis desidero, qui
138 sententiam consulari loco dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio
139 ignosco, alia eorum, quorum vocem requiro; quos quidem doleo in
140 suspicionem populo Romano venire non modo metu, quod ipsum esset
141 turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suae. Quare primum maximas
142 gratias et ago et habeo Pisoni, qui, non quid efficere posset in re publica,
143 cogitavit, sed quid facere ipse deberet. Deinde a vobis, patres conscripti,
144 peto, ut, etiamsi sequi minus audebitis rationem atque auctoritatem meam,
145 benigne me tamen, ut adhuc fecistis, audiat.

146 [16] Primum igitur acta Caesaris servanda censeo, non quo probem (quis
147 enim id quidem potest?), sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis
148 atque otii. Vellem adesset M. Antonius, modo sine advocatis (sed, ut opinor,
149 licet ei minus valere, quod mihi heri per illum non licuit); doceret me vel
150 potius vos, patres conscripti, quem ad modum ipse Caesaris acta defenderet.
151 An in commentariolis et chirographis et libellis [se] uno auctore prolatis,

152 [ac] ne prolatis quidem, sed tantum modo dictis, acta Caesaris firma erunt;
153 quae ille in aes incidit, in quo populi iussa perpetuasque leges esse voluit,
154 pro nihilo habebuntur?

155 [17] Equidem existimo nihil tam esse in actis Caesaris quam leges Caesaris.
156 An, si cui quid ille promisit, id erit fixum, quod idem facere non potuit? ut
157 multis multa promissa non fecit; quae tamen multo plura illo mortuo reperta
158 sunt quam a vivo beneficia per omnis annos tributa et data. Sed ea non muto,
159 non moveo; summo studio illius praeclara acta defendo. Pecunia utinam ad
160 Opis maneret! cruenta illa quidem, sed his temporibus, quoniam iis, quorum
161 est, non redditur, necessaria.

162 [18] Quamquam ea quoque effusa, si ita in actis fuit. Ecquid est, quod tam
163 proprie dici possit actum eius, qui togatus in re publica cum potestate
164 imperioque versatus sit, quam lex? Quaere acta Gracchi; leges Semproniae
165 proferentur. Quaere Sullae; Corneliae. Quid? Pompei tertius consulatus in
166 quibus actis constitit? Nempe in legibus. De Caesare ipso si quaereres,
167 quidnam egisset in urbe et in toga, leges multas responderet se et praeclaras
168 tulisse, chirographa vero aut mutaret aut non daret, aut, si dedisset, non istas
169 res in actis suis duceret. Sed haec ipsa concedo; quibusdam etiam in rebus
170 coniveo; in maximis vero rebus, id est in legibus, acta Caesaris dissolvi
171 ferendum non puto.

172 [19] Quae lex melior, utilior, optima etiam re publica saepius flagitata, quam
173 ne praetoriae provinciae plus quam annum neve plus quam biennium
174 consulares obtinerentur? Hac lege sublata videntur vobis posse Caesaris
175 acta servari? Quid? lege, quae promulgata est de tertia decuria, nonne omnes
176 iudicariae leges Caesaris dissolvuntur? Et vos acta Caesaris defenditis, qui
177 leges eius evertitis? Nisi forte, si quid memoriae causa rettulit in libellum, id

178 numerabitur in actis et, quamvis iniquum et inutile sit, defendetur; quod ad
179 populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Caesaris non habebitur.

180 [20] At quae est ista tertia decuria? 'Centurionum' inquit. Quid? isti ordini
181 iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia, non patebat? 'Census
182 praefiniebatur', inquit. Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam
183 Romano; itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res
184 et iudicant et iudicaverunt. 'Non quaero' inquit, 'istos. Quicumque ordinem
185 duxit, iudicet'. At si ferretis, quicumque equo meruisset, quod est lautius,
186 nemini probaretis; in iudice enim spectari et fortuna debet et dignitas. 'Non
187 quaero', inquit, 'ista; addo etiam iudices manipularis ex legione Alaudarum.
188 Aliter enim nostri negant posse se salvos esse.' O contumeliosum honorem
189 iis, quos ad iudicandum nec opinantis vocatis! Hic enim est legis index, ut ii
190 res in tertia decuria iudicent, qui libere iudicare non audeant. In quo quantus
191 error est, di immortales, eorum, qui istam legem excogitaverunt! Ut enim
192 quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate iudicandi sordes
193 suas eluet laborabitque, ut honestis decuriis potius dignus videatur quam in
194 turpem iure coniectus.

195 [21] Altera promulgata lex est, ut et de vi et maiestatis damnati ad populum
196 provocent, si velint. Haec utrum tandem lex est an legum omnium
197 dissolutio? Quis est enim hodie, cuius intersit istam legem manere? Nemo
198 reus est legibus illis, nemo, quem futurum putemus. Armis enim gesta
199 numquam profecto in iudicium vocabuntur. 'At res popularis.' Utinam
200 quidem aliquid velletis esse popolare! Omnes enim iam cives de rei publicae
201 salute una et mente et voce consentiunt. Quae est igitur ista cupiditas legis
202 eius ferendae, quae turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? Quid
203 enim turpius quam, qui maiestatem populi Romani minuerit per vim, eum

204 damnatum iudicio ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit iure
205 damnatus?

206 [22] Sed quid plura de lege disputo? Quasi vero id agatur, ut quisquam
207 provocet; id agitur, id fertur, ne quis omnino umquam istis legibus reus fiat.
208 Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo condemnato obicere
209 se multitudini conductae velit, aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse
210 ad operas mercennarias statim protrahatur? Non igitur provocatio ista lege
211 datur, sed duae maxime salutes leges quaestionesque tolluntur. Quid est
212 aliud hortari adulescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint
213 esse? Quam autem ad pestem furor tribunicus impelli non poterit, his
214 duabus quaestionibus de vi et maiestatis sublatis?

215 [23] Quid, quod obrogatur legibus Caesaris, quae iubent ei, qui de vi,
216 itemque ei, qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici? quibus cum
217 provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur? Quae quidem ego,
218 patres conscripti, qui illa numquam probavi, tamen ita conservanda
219 concordiae causa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus leges Caesar
220 tulisset, infirmandas hoc tempore non puterem, sed ne illas quidem, quas
221 post mortem Caesaris prolatas esse et fixas videtis.

222 [24] De exilio reducti multi a mortuo, civitas data non solum singulis, sed
223 nationibus et provinciis universis a mortuo, immunitatibus infinitis sublata
224 vectigalia a mortuo. Ergo haec uno verum optimo auctore domo prolata
225 defendimus; eas leges, quas ipse nobis inspectantibus recitavit, pronuntiavit,
226 tulit, quibus latis gloriabatur iisque legibus rem publicam contineri putabat,
227 de provinciis, de iudiciis, eas, inquam, Caesaris leges nos, qui defendimus
228 acta Caesaris, evertendas putamus? Ac de his tamen legibus, quae

229 promulgatae sunt, saltem queri possumus; de iis, quae iam latae dicuntur, ne
230 illud quidem licuit.

231 [25] Illae enim sine ulla promulgatione latae sunt ante quam scriptae.
232 Quaero autem, quid sit, cur aut ego aut quisquam vestrum, patres conscripti,
233 bonis tribunis plebi leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant,
234 paratos, qui rem publicam religione defendant; vacui metu esse debemus.
235 'Quas tu mihi,' inquit, 'intercessionem? quas religiones?' Eas scilicet, quibus
236 rei publicae salus continetur. 'Negligimus ista et nimis antiqua ac stulta
237 ducimus; forum saepietur, omnes claudentur aditus, armati in praesidiis
238 multis locis collocabuntur.'

239 [26] Quid tum? quod ita erit gestum, id lex erit? et in aes incidi iubebitis,
240 credo illa legitima: CONSULES POPULUM IURE ROGAVERUNT
241 (hocine a maioribus accepimus ius rogandi?) POPULUSQUE IURE
242 SCIVIT. Qui populus? isne, qui exclusus est? Quo iure? an eo, quod vi et
243 armis omne sublatum est? Atque dico de futuris, quod est amicorum ante
244 dicere ea, quae vitari possint; quae si facta non erunt, refelletur oratio mea.
245 Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis; demonstro
246 vitia; tollite: denuntio vim, arma; removete.

247 [27] Irasci quidem vos mihi, Dolabella, pro re publica dicenti non oportebit.
248 Quamquam te quidem id facturum non arbitror (novi facilitatem tuam);
249 collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi videtur, (mihi, ne
250 gravius quidpiam dicam, avorum et avunculi sui consulatum si imitaretur,
251 fortunatior videretur) — sed eum iracundum audio esse factum. Video
252 autem, quam sit odiosum habere eundem iratum et armatum, cum tanta
253 praesertim gladiatorum sit impunitas. Sed proponam ius, ut opinor, aequum;
254 quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam eius aut

255 in mores cum contumelia dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non
256 recusabo; sin consuetudinem meam [quam in re publica semper habui]
257 tenuero, id est si libere, quae sentiam de re publica, dixero, primum
258 deprecor, ne irascatur; deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur ut
259 civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa; iis, qui
260 pro re publica, quae ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac
261 postulatione dici potest aequius?

262 [28] Quodsi, ut mihi a quibusdam eius familiaribus dictum est, omnis eum,
263 quae habetur contra voluntatem eius, oratio graviter offendit, etiamsi nulla
264 inest contumelia, feremus amici naturam. Sed idem illi ita mecum loquuntur:
265 'Non idem tibi, adversario Caesaris, licebit quod Pisoni socero,' et simul
266 admonent quiddam, quod cavebimus: 'Nec erit iustior in senatum non
267 veniendi morbi causa quam mortis'.

268 [29] Sed per deos immortales! — te enim intuens, Dolabella, qui es mihi
269 carissimus, non possum utriusque vestrum errorem reticere. Credo enim vos
270 nobiles homines, magna quaedam spectantes, non pecuniam, ut quidam
271 nimis creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoque clarissimoque
272 contempta est, non opes violentas et populo Romano minime ferendam
273 potentiam, sed caritatem civium et gloriam concupivisse. Est autem gloria
274 laus recte factorum magnorumque in rem publicam meritorum, quae cum
275 optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.

276 [30] Dicerem, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te praeter
277 ceteros paulisper esse expertum viderem. Quem potes recordari in vita
278 illuxisse tibi diem laetiolem, quam cum, expiatio foro, dissipato concursu
279 impiorum, principibus sceleris poena affectis, urbe incendio et caedis metu
280 liberata, te domum recepisti? Cuius ordinis, cuius generis, cuius denique

281 fortunae studia tum laudi et gratulationi tuae se non obtulerunt? Quin mihi
282 etiam, quo auctore te in his rebus uti arbitrabantur, et gratias boni viri
283 agebant et tuo nomine gratulabantur. Recordare, quaeso, Dolabella,
284 consensum illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas
285 fuerant tibi offensi, significarent se beneficio novo memoriam veteris doloris
286 abiecisse.

287 [31] Hanc tu, P. Dolabella, (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam,
288 potuisti aequo animo tantam dignitatem deponere? Tu autem, M. Antoni,
289 (absentem enim appello) unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit,
290 non omnibus his mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes,
291 beatum putant, anteponis? Quae fuit oratio de concordia! quanto metu
292 senatus, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est, cum collegam
293 tuum, depositis inimiciis, oblitus auspicio a te ipso augure populi
294 Romani nuntiatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti, tuus parvus
295 filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit!

296 [32] Quo senatus die laetior, quo populus Romanus? qui quidem nulla in
297 contione umquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros
298 fortissimos videbamur, quia, ut illi voluerant, libertatem pax consequeretur.
299 Proximo, altero, tertio, denique reliquis consecutis diebus, non intermittebas
300 quasi donum aliquod cotidie afferre rei publicae, maximum autem illud,
301 quod dictaturae nomen sustulisti. Haec inusta est a te, a te, inquam, mortuo
302 Caesari nota ad ignominiam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manli
303 scelus decreto gentis Manliae neminem patricium Manlium Marcum vocari
304 licet, sic tu propter unius dictatoris odium nomen dictatoris funditus
305 sustulisti.

306 [33] Num te, cum haec pro salute rei publicae tanta gessisses, fortunae tuae,
307 num amplitudinis, num claritatis, num gloriae paenitebat? Unde igitur subito
308 tanta ista mutatio? Non possum adduci, ut suspicer te pecunia captum. Licet,
309 quod cuique libet, loquatur, credere non est necesse. Nihil enim umquam in
310 te sordidum, nihil humile cognovi. Quamquam solent domestici depravare
311 non numquam; sed novi firmitatem tuam. Atque utinam ut culpam, sic etiam
312 suspicionem vitare potuisses! Illud magis vereor, ne, ignorans verum iter
313 gloriae, gloriosum putes plus te unum posse quam omnes et metui a civibus
314 tuis quam diligi malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriae. Carum
315 esse civem, bene de re publica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est;
316 metui vero et in odio esse invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum.

317 [34] Quod videmus etiam in fabula illi ipsi, qui 'Oderint, dum metuant'
318 dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, M. Antoni, avum tuum meminisses! de
319 quo tamen audisti multa ex me, eaque saepissime. Putasne illum
320 immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam
321 metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem ceteris,
322 principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum
323 eius supremum diem malim quam L. Cinnae dominatum, a quo ille
324 crudelissime est interfectus.

325 [35] Sed quid oratione te flectam? Si enim exitus C. Caesaris efficere non
326 potest, ut malis carus esse quam metui, nihil cuiusquam proficiet nec valebit
327 oratio. Quem qui beatum fuisse putant, miseri ipsi sunt. Beatus est nemo, qui
328 ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria
329 interfici possit. Quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita
330 governa rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant, sine quo nec
331 beatus nec clarus nec tutus quisquam esse omnino potest.

332 [36] Populi quidem Romani iudicia multa ambo habetis; quibus vos non
333 satis moveri permoleste fero. Quid enim gladiatoribus clamores
334 innumerabilium civium? quid populi versus? quid Pompei statuae plausus
335 infiniti? quid duobus tribunis pl., qui vobis adversantur? parumne haec
336 significant incredibiliter consentientem populi Romani universi voluntatem?
337 Quid? Apollinarium ludorum plausus vel testimonia potius et iudicia populi
338 Romani parum magna vobis videbantur? O beatos illos, qui, cum adesse
339 ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen et in medullis populi
340 Romani ac visceribus haerebant! Nisi forte Accio tum plaudi et sexagesimo
341 post anno palmam dari, non Bruto putabatis, qui ludis suis ita caruit, ut in
342 illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribueret absentī,
343 desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.

344 [37] Equidem is sum, qui istos plausus, cum popularibus civibus
345 tribuerentur, semper contempserim; idemque, cum a summis, mediis,
346 infimis, cum denique ab universis hoc idem fit, cumque ii, qui ante sequi
347 populi consensum solebant, fugiunt, non plausum illum, sed iudicium puto.
348 Sin haec leviora vobis videntur, quae sunt gravissima, num etiam hoc
349 contemnitis, quod sensistis, tam caram populo Romano vitam A. Hirti
350 fuisse? Satis erat enim probatum illum esse populo Romano, ut est;
351 iucundum amicis, in quo vincit omnis; carum suis, quibus est [ipse]
352 carissimus; tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem omnium
353 in quo meminimus? Certe in nullo.

354 [38] Quid igitur? hoc vos, per deos immortales! quale sit, non
355 interpretamini? Quid? eos de vestra vita cogitare non censetis, quibus eorum,
356 quos sperant rei publicae consulturos, vita tam cara sit? Cepi fructum, patres
357 conscripti, reversionis meae, quoniam et ea dixi, ut, quicumque casus

358 consecutus esset, exstaret constantiae meae testimonium, et sum a vobis
359 benigne ac diligenter auditus. Quae potestas si mihi saepius sine meo
360 vestroque periculo fiet, utar; si minus, quantum potero, non tam mihi me
361 quam rei publicae reservabo. Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem
362 vel ad gloriam; huc si quid accesserit, non tam mihi quam vobis reique
363 publicae accesserit.